Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26117
Copyright: Admont, Benediktinerstift

glorie sciuissem. numquam te crucifixissem. Sed tu excecasti me. ut salutem humani generis per me operaris. et ideo nesciui quid feci. quia anima mea conturbauit me propter quadrigas aminadab. Hoc est animalitas mea fecit me diffidere propter euangelicam doctrinam. que me a circumcisione a deo precepta et a legalibus cerimoniis prohibuit. et baptisma atque alia noua instituta docuit. Tria sunt in homine. caro. animalitas. spiritus. Caro est pondus et aggrauatio. animalitas libitum carnis secundum quod uiuimus et nichil ueri sapimus. spiritus est qui uiuificat. Azoti etiam filios israel pugnauerunt. qui deuictis archam dei rapuerunt. Qua propter diuina ultione percussi in posteriora a diis ciuitatis responsum acceperunt. quod ab illa infirmitate non possent liberari. nisi archam remitterent. Que tunc inposita quadrigis. reducta est in domum aminadab sacerdotis. Quadriga est christi euangelium. in quo rote sunt iiii. euangeliste. que circa finem seculi per totum mundum currunt. Archa est christi humanitas. manna in archa est christi diuinitas. Archa est ducta in allophylos. et christus ductus est ad gentes per apostolos. Archa est reducta in quadrigis in iudeam. et christus in fine mundi reducetur per euangelia in synagogam. De domo aminadab reducta est per dauid in ierusalem. Amminadab dicitur spontaneus populi mei. et est christus sponte oblatus pro peccatis populi. Cuius domus fuit ierusalem. de qua eum pater transtulit in celestem ierusalem. Quadriga huius

N. TRIA IN HOMINE